

CAP. XII.

*Reformatorum sententiam non probari 1. ex Nehem. 8: 9.
Nec 2. ex 1 Petr. 1: 20. ostenditur.*

EXcussâ sic satis, nostiô quidem judiciô, ipsâ Reformatorum Sententiâ, transitum nunc faciamus ad Rationes, quibus illam fulcire ac munire student. In harum verò examine dum versor aliquoties mirari mihi subiit, Viros doctissimos, ac aliàs satis accuratos ac perspicaces, in suorum adversariorum argumentis examinandis atque exanimandis tam subtiles, ac rigidos; in propriis verò proponendis, firmandisque tam lenes esse ac crassos, utpote omni fundamentô omni stabilimentô destitutis: suô exemplô comprobantes illud Christi: Luc. 6: 42. *Homines in aliorum oculis videre posse festucam, in propriô verò trabem non animadvertere*; ac Theologos etiam suis præjudiciis, quæ illi præ cæteris procul habere deberent, laborare, dum suam præconceptam, ac à majoribus acceptam opinionem & argumenta illam astruentia, sine ullâ tam horum, quàm illius examinatione amplectuntur: eam enim si vel levem instituissent, & illius futilitatem & horum imbecillitatem liquidò deprehendissent, adeoque in veritatem inquisivissent, eamque invenissent, atque amplexi fuissent: quod adhuc mecum facturos spero atque confido. Sed de diverticulô in viam.

Argumenta igitur, quorum nobis hîc refutatio est instituenda, in duas dispescemus classes; prima continebit inartificialia, testimonia putà, quæ sententiam suam adstruere Reformatis videntur, è S. Literis deprompta: altera artificialia, à Ratione, Analogiâ fidei, atque aliunde desumpta. Qui ex Scripturâ adferuntur loci, præcipui sunt duo, unus ex Veteri, alter ex Novô Testamentô.

1. Qui ex Veteri adducitur locus, occurrit Nehem. cap. 8. vers. 9. Ubi de Ezrà, aliisque narratur, quòd *Legebant librum illum, legem Dei explanatè & exponendô sensum, dabant intelligentiam per Scripturam ipsam*. Unde infertur, si jam olim Scriptura per seipsam explicata fuerit, eandem & nunc rationem obtinere debere. Vid. Chamier. Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 16. cap. 6. §. 10. Scarp. Curs. Theologic. Loc. de Scriptur. Controvers. 8. Alsted. Præcogn. Theolog. lib. 2. cap. 95. & alios. At respondemus, locum hunc adhuc alias præter allatam, quæ Tremellii, & Junii est, ex Hebræâ origine admittere versiones: Nam postrema verba in quibus maxima Argumenti vis sita est, vertit Piscator, *inter legendum*; & in Scholiis hujus capituli,